



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Genofefa Palatina. 2. April.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

Ut cum fratribus duobus pomiferæ arboris causâ inimicitias inter se alentibus, arborem dissilire mediam iussit, neuter ut uno pomo esset ditior; vel cum pauperum causam apud Regem aucturus, numum aureum inter digitos diffregit, ex quo cum sanguis copiosè manaret, inopum eum esse dixit, qui acerbis exactiõibus exigerentur. Hâc denique virtute ad cælum subvectus est anno M. D. VII. eâdem fiduciâ aërem transvolans, quâ olim mare pallio suo instratum enavigavit. *Ex vitâ.*

*Quàm pulchrum est, quàm decorum, vulnus à Charitate accipere. Alius jaculum carnei amoris accepit, alius terreno cupidine vulneratus est; nuda pectus trinum, & præbe te jaculo formoso; siquidem DEUS sagittarius est. Orig. hom. 2. in Cant.*

## S. GENOFFEA PALATINA. 2. April.

**G**ENOFFEA Brabantia Ducis F. Sifridi Comitis Palatini conjux, post votum DEIPARÆ factum filium enixa est, id temporis Sifrido in Syriâ agente. Interea Golo, qui pro Duca Rempub. administrabat, cum pudicitiam sæpe sapius GENOFFEÆ necquicquam tentasset, ut scelus scelere tegeret, apud reduceem Principem in suspicionem eam adduxit, ac si alieno ex toro filium sustulisset. Matris continuò crimen cum matre & puero

ro aquis jubet margi. Sed mitiores domi-  
no famuli, cum in silvas utrumque expo-  
suisent, domi se imperata peregrisse ad-  
simularunt. Nec defuit etiam inter silvas  
afflictis miserorum MATER, sed cer-  
vam misit, quæ statâ horâ quotidie in-  
fanti ubera præberet. Annus agebatur  
orbis restaurati DCCCL. exilii GENOFE-  
FÆ V. cum Sifridus, dum feras quærit  
in homines offendit, in iis conjugem &  
natum, in utroque crimen suum agnos-  
cit, VIRGINI verò SOSPITATRI-  
CI id loci templum struit: ut si ejus be-  
neficia urbes taceant, vel silvæ loquantur.  
*Ex Molano.*

*In quacunque hominum verseris frequen-  
tiâ, cave aliena conversationis esse aut cu-  
riosus explorator, aut temerarius iudex:  
& si actum quid deprehendes, nec sic judi-  
ces proximum, magis autem excusa. Bern.  
de duod. grad. Hum.*

S. MUSA VIRGO. 2. Aprilis.

**E**Rat M u s a virgo Romana, rarum,  
at breve teneræ ætatis miraculum,  
cujus lecto nomine, cave citharam cho-  
tòsve cogites, nullæ occurrant Pieri-  
des; vitæ severitatem, verborum mo-  
derationem, animi recessum discite.  
Quiescenti olim Deipara, denso virgi-  
num sacrarum agmine cincta, se obtulit;  
omnibus in vultu nitox solis, in veste

O 4 candor